26.

RECTORI
MAGNIFICO,
THEOLOGO
CLARISSIMO.
PRÆCEPTORI
DESIDERATISSIMO;

D. D.

EGIDIO HVNNIO

VVitebergæ dicebam.

Fr.

TAUBMANUS.

Fr.

Ex. ad. XV. KL. IXBR.
An. dom.
M. D. XCII.

Typis Zachariæ Lehmanni.

C21.

PRinceps interpres Chriſtjani Codicis, HVNNI,
Devotos tibi verſiculos protollere, non eſt
Amplius obſequio res arbitraria noſtro:
Hos licet abnormi lævatos Pallade clamet
Marculus, & ſurdam cuſos ad Apollinis aurem.
Non eſt de nihilo: nec, quod ſcis, ibo negatum:
Corroſos ungueis ſæpè acroteria nudi
Pollicis exſucco penſatos carmine, plorant.
Sed Pietas, liquido quæ me ſibi mancipat uſu,
Incuſſit magnum ſcribendi in pectus amorem
Pierium carmen: præſertim hoc temporis, HUNNI,
Quando MAGISTRATUS cedit tibi MAIOR: & uno
Leucoris adſenſu Muſarum acclamat Oréas;
Quod FAUSTUM AC FELIX nobis SIT & utile, magno
HUNNIUS auſpicio RECTOR ſolemniter audit.
Mirarer ſanè: ſi, quo Doctrina patrono
Vindicat in veterem ſe libertatis honorem,
Primos in noſtris non participaret honores!
Dicam inſigne recens, & adhuc à nemine dictum
Scilicet! occidui vos ſcitis & orbis eoi,
Diductaq; fretis alio ſub ſidere gentes.

 Germa-

Germanum Imperium quùm Carolus Auſtride
Prognatus gereret; ſuperæq; vicarius Aulæ (terrà
Mentitus Leo ſucceſſor protempore Petri.
Iamq; ſalutiferi ſpiſsà caligine Chriſti
Legem involviſſet Satanas: ac penè iuberet
Deſperare Deum miſeram ſine vindice plebem:
Maximus Iapeti de gente Luterus, honorum
Exſeruit caput, & Latias purè abluit umbras:
Reſtituitq; Deum patriæ. tu Saxo fuiſti
In rem præſentem, qui degis proximus Albim.
Tuq; tenax fidei, quà Manum flumen amœnum
Prægnanteis lambit vites, Francôa propago:
Et qui Cæſareo colitis ſub numine paſsim,
Auribus uſurpaſtis idem. Sed degener ætas,
Et minimè prudens pro nominis arte Prometheus
Pulvere ſubtili fabricavit ſæcla virorum,
Quos non eſt hodie ſine riſu dicere: quando
Iam noti pueris ſunt, qui nondum ære lavantur:
Et quicquid nauci eſt, nomen ſortitur ab iſtis.
Hi tenebras dicunt illuſtris tela diei,
Quæ ſparſit magnus, cælo indulgente, Luterus.
Dumq; aliam quærunt Rationis acumine lucem,
Quæ clarore novo tales abſtergeat umbras:
Cælitùs indulti viduantur luminis uſu:

Vt

Ac Solis teres vmbra rotæ palleſcit, & omnem
Longè prætexit ferrugine Leucoris oram.
Non tulit hoc genii melioris provida proles
Ludibrium Satanæ. nebulæ fatalis amictû
Exſinuat caput, & paſſis ad ſidera palmis
Suppliciis onerat later-egem. ille roganti
Applicat acclineis, ut voto conſulat, aures:
Horrendasq; vices hominum miſeratur: & urbes
Saxonis, extremâ quas ſemper lineâ amavit,
Reſpicit ingenti LUCENTIS AB IMPETE MUNDI:
Ecquid, ait, toties facies deformis olympi
Albiacos infeſtet agros ſine more: nec unquam
Certa ſerenati liqueat clementia cæli?
Quin turbo ventus nebulas mihi differat hoſteis,
Quas obicit Corus cæli fuſcator: & umbrâ
Fulgeat abſterſâ, ſudamq; exporrigat æthram
Subducti cortina poli, quà Saxonis ora eſt.
Exſue nunc verbis mantellum: atq; inſpice nudum
Ad Solem Rationis opus. livore remoto,
Nunquid habes melius ſuper his mihi dicere? Nonne
Nubifugus MYLIUS *Boreas; & Judificus ſol* (*eſt*
HUNNIUS? *ille logos exſorteis numinis, altis*
Eruit indiciis, & linguæ fulmine differt:
Spiritus ut Zephyri paleas diſpalat in auras.

Hic calamo ſelix : & dulci voce diſertus:
Temperie tranquillà animi : vultuque ſereno :
Quîs e ſuggeſtû celſâq; e luce cathedræ
Irradiat penitas, hominum poſtſcenia , mentes,
Prælucente ſacem divini Codicis aurâ.
Et miramur adhuc : ſi, conſpirante Senatû
SUMMA MAGISTRATUS humeris imponitur
HUNNI?
Quem non fortuiti vertigo reciproca fati,
Non eblanditis ſuffragI gratia punctis
Erigit in tantos, hoc rerum turbine, faſceis.
Qui vir es, o HUNNI; cave, non ſis Hunnius
Qui Terram Cælo miſcent: & acumine mentis (iſtis,
Argutos nectunt laqueos , ut Protea poſſint
Irretire adeò; nedum, qui ſimplice vero
Αὐτὸς ἔφη colimus : nec rem ſcrutamur opertam
Senſiculis hominum; ſed demiramur apertam.
Chriſtum utrâq; manû complexuq; adſere toto:
Et ſapere inſipidum pretioſi emptoris Averni
Ne malè formida: ſed contra ſtrennuus ito.
Ridiculum eſt ſiquà Samnitum nana propages
Audeat Alcidæ ſtricto concurrere telo.
Te tua ſama poteſt, HUNNI, vel ſola tueri.
Dive Deus, radix rerum, cæli inclute rector,

De

De noſtro RECTORE pio gere numine curam
Et quia Fatorum Vitaq; & Mortis & Ævi
Audis ex merito dominus; ſubtemina vitæ
Perpetuo filo ſeros extende ſub annos;
Et ſanam huic ſano cum corpore ſuffice mentem.
Nam tibi ſe totum dedit: tibi militat uni:
Nil ipſi nil laude tuâ potiusve priusve eſt.
Te rogat hoc avido melior Germania voto:
Hoc, quantum eſt, quaq; eſt, te poſtuma turba Luteri:
Hoc, quam tu patrio ſemper complexus amore es,
Flagitat unanimi Schola noſtra redintegra cultu:
Hoc ego (ſed quis ego? Chriſti fraterculus) oro.
An tot non poteris Deus exaudire precatûs?

FINIS.